



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Matre Aegidia Hoonuingana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

Liber Primus.

dia verò cum Matronalibus aliis dotibus, tū præcipuè vti par est, sanctimonia & pietatis exercitatione eminuit. Itaque cum decessit (acerbo enim elata est funere, vnica virili stirpe Petro de quo scribimus, filiaq; vna relicta) nihil habuit, de quo supremis verbis virum grauius admoneret, rogaretque impensius, quàm vt Nouitios errores, qui iam inter Nouiomagenses serpebant, omni ope defugeret; ac religionem Catholicam, sanctâque mordicus teneret. semper autem filios, ac nominatim Petrum singulari studio, nec sine lacymis commendare consueuerat Deo, eiusq; curæ, ac tutelæ committere. vt dubitandum minimè sit, quin pias preces & ipsa continuerit in cœlo, & benignè Deus audierit. Ea demortua Iacob. Vendelinâ Vandenberg duxit, quatuorq; ex ea fratres, totidèq; sorores Petro genuit: atq; Othonem, ac Theodoricum in iis, quorum infra mentio fiet. Sororè habuit ea nouerca religiosam imprimis quæ intra domesticos parietes incorruptam animi, corporisque integritatem, & in omni genere laudabilem vitam ad vltimam vsque senectam obtinuit. Ea pro parente ac Magistra Petro se gessit.

Porro vt administrum ex animi sui sententiâ di-

Matre Agg-
dia Hoon-
vingana.